

Colchicum variegatum. *Biv. Cent.* 1. pag. 27. deletis characteribus foliorum, quia ut Cl. auctor fatetur illa non viderat; et exclusis synonymis *Linnaei* ac *Morisonii*.

Habitat in montibus prope Panormum in locis dictis *S. Maria di Gesù*, *Monte Petruso*, *la Nivera*, *Gibilmessa*, et in monte *Cofani* prope Drepanum.

Floret *Septembri*, et profert folia *Novembri*.

Quamvis haec planta sit *C. variegato* nimis proxima; tamen abunde discrepat, corollis minoribus, tubo longiore; laciniis elliptico lanceolatis, concavis, erectis, non ovato-lanceolatis, planis, patentibus; foliis erectis, non patentibus; margine planis, non undulatis; viridibus, non glaucis.

(6) *CREPIS SPATHULATA*.

C. glabra: caule suberecto, ramis unifloris, approximatis: foliis radicalibus spathulatis, apice retrorsum denticulatis; caulinis sessilibus, integerrimis, lanceolatis: calicibus subhirtis. *Nobis*.

Habitat in pratis et arvis prope *S. Josephum*, *Alcamum*, *Segestas*, *Calatafinim*, *Salemim*, *Gibellinam*, etc.

Floret a *Novembri* ad *Martium*. Perennis.

Quod ad descriptionem spectat a *C. bellidifolia* *Loisel. vol. 2. p. 527. tab. 18.* non admodum dissimilis videtur; sed secundum ejusdem Auctoris iconem, est toto coelo diversa. *Radix* perennis, non annua. *Caulis* erectus, semipedalis, vel pedalis, parce foliosus. *Rami* approximati, irregulariter elongati, uniflori, bracteisque linearibus apicem versus hinc inde instructi. *Folia* radicalia denticulata, 2-3 pollices longa, 1 pollicem lata; caulina angustiora et

breviora, lanceolata, acuta, sessilia, rare auriculata. *Calices* pilis brevibus, albis subhirti; basi cincti squamis duplo, triploque brevioribus, lanceolato-linearibus, quandoque margine membranaceis, adpressis vel laxiusculis. *Corolla* lutea, duplo major *C. bellidifoliae*. *Pappus*, pilosus, stipitatus.

Barkhausiae hiemali Biv. quoad habitum magis proxima, sed indicatis notis etiam satis diversa.

(♁) ERICA SICULA.

E. antheris muticis, inclusis; stylo exserto; corollis ovato-oblongis, pubescentibus; foliolis calycinis, bracteisque membranaceis, coloratis, corollam subaequantibus; floribus terminalibus, longe pedunculatis, sub-umbellatis; foliis quaternis, petiolatis, linearibus, subteretibus, subtus sulcatis. *Nobis*.

Habitat in rupibus calcareis meridionalibus, et occidentalibus montis *Cofani* prope Drepanum, simul cum *Erica multiflora*, *Scabiosa limonifolia*, *Convolvulo Cneoro*, etc.

Floret *Aprili*, et *Majo*. Perennis.

Frutex 2-3-pedalis, irregulariter ramosus. *Folia* quaterna, petiolata, subteretia, subtus sulcata, obtusa, $\frac{1}{2}$ lineam lata, 4-5 lineas longa; juniora imbricata, et pubescentia; seniora horizontalia, glabriuscula. *Flores* quatuor, terminales, primo nuntantes, deinde erecti, longe pedunculati; pedunculis 5-8 lineas longis, viscoso-pubescentibus, bracteatis. *Bracteae* alternae, lanceolatae, pubescentes, membranaceae, coloratae, integerrimae, subcarinatae, ciliatae. *Calicis* foliola 4-5, ovato-lanceolata, 2-3 lineas longa, corolla parum breviora; caeterum bracteis conformia. *Corolla* pallide carnea, ovato-